ANGELI DURINI
EX COMITIBUS MODOETIAE
ARCHIEP: ANCYRANI IN REG: POL:
NUNTII APOSTOLICI

IN DIVAM AMELIAM DE BRÜHLL COMITISSAM DE MNISZECH OBSEQUIUM.

VARSAVIÆ
Anno 1768.

Ad Divam Ameliam de Brühll Comitiſſam de Mniſzech.

EPIGRAMMA I.

O quam te memorem ! totis quæ viribus uſa
Naturæ, Cœli BRUHLIA vincis opes!
Nam nec vox, nec mens hominem ſonat; o Dea (certe,
O Dea, vel ſi qua ſunt potiora Deis,
Mollia ſidereos demitte ad carmina vultus,
Quæ cecinit variis noſtra Thalia modis.
Nam quamvis Tibi nulla dari, niſi magna decebat,
Fronte tamen læta ſumere parva ſoles;
Jlla Tibi eſt cum Dîs communis, ut omnia, virtus,
Quos placant inopi thura cremata manu.
Fors olim majora Tibi, & meliora dicabo,
Si modo me ſolitâ Diva fovebis ope.
Te ſine nil, ſed multa Tuo cum Numine poſſum;
Nititur auxilio ſpes mihi tota Tuo.
Ipſe quidem Anſer iners triſti hoc ſum tempore, ſed Tu ex
Anſere me Cycnum reddere, Diva, potes.

ODE I.

Cupienti AMELIÆ legere aliqua carmina Durini, submitit Ille verecunde, ut peritæ artifici, ejus Ipsius laudes, quo gratius accidat munus.

NOstri carmina pectinis
  Exaudire cupis, Saxonidum Decus,
Phæbeæque potens lyræ,
  Prima & fama soli Bruhla Polonici.
Undas quis Thetydi? novas
  Floræ veris opes, pomaque deferat
Pomonæ? decus attamen
  Affecto imperii, atque arripio libens,
Thusci Flaccus uti Ducis:
  Dignum spe sed enim quid modo profluet
Tanta? nobile sæpius
  Argumentum humiles occuluit sonos,
Aut evexit ad æthera.
  Hac nos arte Tui munera pectoris
Tollemus rapidi simul
  Quautumvis tenues. Hac ope proderit
Te monstrare Tibi. Genus
  Nec ceræ veteres, nec domus ardua,
Fortunæ bona lubricæ,
  Chartis invenient partem aliquam meis.
Magnæ specto animæ chorum,
  Quem virtus & honos ducere gestiunt.

Proh

Proh mores nivis æmuli!
   Facundum eloquium, rara modeſtia,
Ætatis jubar aureæ,
   Ipſis lucidior Gratia Gratiis!
Mentis dum famulas ſequor
   Virtutes, Dominam concino BRUHLIAM.

ODE II.

AMelia, tuæ fama Poloniæ,
Nuper præſidium grande Poloniæ,
Quænam digna tuis moribus eloquar?
Quænam digna loquar frontis honoribus?
Te mutet propria Perſephone Ceres,
Te mutet propria Thetide Peleus,
Cynthusque erubuit cedere Deliam,
Arx Theſæa ſuam cedere Palladem.
Tu cum quadrjugis deveheris rotis,
Tum purum radiis ingeminas diem.
Qua fers cumque pedem, ſigna pedum roſæ
Condunt purpureæ, mollibus orbitam
Certant veris opes ſternere floribus;
Sic es cærulæis ſurgere fluctibus,
Sic es digna vehi per liquidas Domos
Junctis Idaliæ Matris oloribus.
Quid ſi flammiferas aggrederis plagas?
Cœlo lapſa Venus invidia cadet,
Linquet Juno minor ſidereas faces,
Siſtet te ſolio Juppiter aureo.

ODE III.

HUc age, argute caput impedita
Fronde Dyrcæa propera; &, decenter
Te quibus laudem, numeros canora
Præcipe BRUHLLA.

Gratiis junctas generosa Musas
Adtrahas tecum, viridemque Laurum
Tu meo ponas capiti, & coronâ
Tempora cinge.

Quid prius de Te referam merente
Concini ex omni titulo? an quod ævo
Sit Tibi longo Genus, & superbo
Sanguine Avorum

Nobile? An multo niteat quod ostro,
Et Tua aulæis Domus? & Lacunar
Splendidum argenti, solidique lamnis
Rideat auri?

Luce Phæbæa magis hæc patescunt:
Hæc neget si quis, prius obstinata
Mente hic ard ntis radios negarit
Fulgere solis.

Præter hæc surgit Tibi pulchra virtus
Nominis multi; Tibi grande acumen
Mentis in primo teneræ micavit
Flore Juventæ.

Tu lyræ dulci ſtrepitu canorum
Temperes carmen, ſuperasque Vatem
Lesbiam, & Coæ ſtudioſa veſtis
Pallada vincis.

Uſque Tu argutis oculis venuſta
Videris quemquam ; placido beatus
Fiet obtutu, liquidumque nectar
Ebibet ore.

Eſt Tibi flavus, nitidusque crinis,
Et potens ipſos cohibere Divos;
Retia hinc fingunt dociles amores,
Vinclaque nectunt.

Candida albeſcit Tibi frons ; eburnum
Enitet collum : neque livor ipſe
Brachia, & ſuras Veneri invidendas
Culpet amarus.

Vincit Idæo Tua forma Grajam
Raptam Alexandro, Acriſiique Prolem:
Vincit & quidquid charitum vetuſta
Sæcla tulerunt.



ODE IV.

UNde exordiar ingredi
Laudes BRUHLA Tuas? æſtuo, & anxius
Cura multiplici feror.
Dives quippe inopem copia me facit,
Et mens obruitur bonis,
Sub rerumque labat mole, nec exequi
Vires ipſa valet ſuas.
Ecquod BRUHLA mihi principium dabis?
Nam Tu materies eris,
Pangendique ſimul carminis Arbitra.
Ergo quid prius inſequar
Verſu dicere, quid deinde, quid ultimum?
Antiquum ne canam genus,
Et præclara Domus Lumina Bruhliæ?
An vero ingenium loquar,
Quod rore Aonio Pieris imbuit?
O Te BRUHLA ter, & quater
Felicem, probitas inclyta cui dedit,
Et morum niveus decor,
Doctrinæque fides, ut penitus queas
Limen tangere regium,
Auguſtosque Lares, quos ſibi proprios
Immortalis honor ſacrat.
Sed quis me violens abripit impetus,
Quæve inſania amabilis?
Non tam celſa modis conveniunt lyræ,
Nec

Nec Te musa procax decet
  Fortunæ metuentem alitis Icari
Vires ulterius Tuas
  Affectare viam, ut vitio ingeni,
Infantisque loquentiæ
  Plectro digna gravi encomia deteras.

ODE V.

QUis AMELIA Tuas poterit quis pangere dotes
  Corporis, atque animi ?
Non si Mæonius Vatum Pater ipse resurgat,
  Carminis omnigenas
Explicet & vires, atque olli Pythius adsit
  Phœbus, & Aonides.
Inclyta virtutum laus in Te maxima floret,
  Sidereumque decus :
Forma Deæ similis, quam semper grata venustas,
  Subsequiturque Charis;
Ingenio quamvis excellas, hoc tamen arte
  Excolis assiduâ.
Quam variis linguis pulchré uteris ! hinc Tibi rerum
  Plurima notities ;
Interdum vocem inflectendo fallitur hora,
  Nunc etiam fidibus ;
Nunc telâ in tenui, & qualem vix posset Apellis
  Pingere docta manus.

Quid memorem ut ſuavis ſermo, plenusque decoro,
Vox quoque mellifiua;
Quid riſus, motus, inceſſus! quidve choreas
Ducere cum libuit!
Singula quid referam? ſunt omnia grata, venuſta,
Quæ facis, aut loqueris.

ODE VI.

INgens egentem copia me facit,
Exordiendi nec facilis via eſt,
O BRUHLA, virtutum Poetæ
Carmen honorificum Tuarum.
Nam tanta ſe ſe protinus explicat
Rerum facultas, tantaque copia,
Incerta mens ut ſit, decenti
Quas ſerie quibus anteponam?
Dicam irrigatas nectare Apollinis
Voces loquentis, quod rabidas domet
Tygres, quod iratos Leones,
Saxa ſuis ſcopulis revellat?
Miratur orbis fæmineo calens
Pectus virile in corpore, & abditas
Sinu Minervali beatæ
Mentis opes, animique robur.
Callere primis Mnemoſinæ dedit
Linguas ab annis; Te Patrio Exteri
Sermone mirantur loquentem;
Quisque ſuas ſtupuere voces.

Hæc

Hæc cogitantem non humeri pares
Deterruerunt me, & mea parvitas;
Primamque Apollo sub quietem
Talibus increpuisse visus;
Ecquid minutis his fidibus Tuis
Sumis verendam dicere BRUHLIAM,
Exemplar immortale morum,
Fæminei decus atque Sexus?
Getulæ arenas Tethyos hoc erit
Metiri; & alto sidera quot micent
Affixa cœlo, quando sudæ
Cumque tacent numerare noctes;
Quot mane primo sub nemorum comis
Blandis volucres cantibus instrepant,
Cum veris optatam tepentes
Temperiem Zephyri reducunt.
An non per undas Oceanitidas
Parvâ vehatur Navita si rate,
Formidet, insanis ut impar
Æquoris horrisoni procellis?
Huic ipse (fandi nam mihi copiam
Tum fecit) inquam; mos tamen est Deis,
Cum Thura desunt, & Phaliscâ
Victima bos satiatus herbâ,
Quam plebis offert Relligio molam
Parvo vetusti cum cyatho meri,
Ramosque Sylvarum, & recentes
Consuluisse boni corollas.

Non tam mei ſum neſcius ingeni,
Thymbræe, tantum nec tribuo mihi,
Ut poſſe ſperem ejus verendas
Pro meritis ceciniſſe Laudes.
Saltus peragrantem attamen Aonas,
Et ſaxa Pindi frondea, quid vetat
Decerpere huic incana parvo
Lilia cum violis caniſtro?
Attingere haud mens ardua; pectine
Sat cantitarim ſi Mitylenio,
Ut Parca naſcenti futuræ
Indolis, egregiæqne formæ,
Et ſingularis præſcia gratiæ
Volvente ſtamen candidulum manu,
Ab melle Muſæo beatum
Indiderit, neque falſa, nomen.
Contenta certis finibus, aggredi
Eo voluntas usque mea audeat,
Quo clara AMELIAE potis ſim
Grati animi dare ſigna Divæ.
Hac voce fl-xus Cynthius annuit,
Et me volucri deſeruit fugâ,
Evanida ut corpus relinquit
Umbra ſuum fugiente ſole.

HEN-

HENDECASYLLABUS I.

INter, BRUHLA, Deas virentis Idæ
Si Tu vallibus herbidis fuiſſes,
Cum litis Paris arbiter duabus
Cyprin prætulit, aureoque malo
Ipſam cenſuit eſſe munerandam;
Formæ dotibus elegantioris
(Dictum pace trium ſit hoc Dearum)
Viciſſes, neque reſtituiſſet ulla,
Palmæ præmia quominus referres.
Cumque idem ille Helenam per alta vectus
Incautis raperet ſubinde Amyclis,
Si conſpecta prior fores, minori
Atridæ ſua Tyndaris maneret,
Nec Trojam Argolicus cremaret ignis.
Et quis tam eloquio, quisque BRUHLA venâ
Tam prædivite præditus, potis ſit
Digne ſcribere qui Tuosque mores,
Et raræ ſpecimen queat figuræ?
Cedat Nata Jovis vigore mentis,
Cedat pulchra Venus decore formæ,
Et quam Juppiter imbre luſit aureo.
Te non eſſe hominem putem: Sed unam
Nympharum, è numerove Gratiarum,
Quæ mortali habitu morere terris,
Conſpectu ut facias Tui beatos,
Quicunque in Te avidos vibrant ocellos.

ANACREOTICA I.

AGe vero clare Pictor
Roseæ magister artis,
Agedum BRUHLAM Poloni
Age Decus usque Regni,
Licet absit illa, pinge;
Ego te modum docebo.
Facito aureos capillos,
Age, frons ab usque primis
Niteat genis eburna;
Facito igneos ocellos,
Ut habet Minerva glaucos,
Venus alma mollicellos;
Tyrio rosæ colore,
Niveoque lacte mixto
Fieri genas oportet:
Facito labella Suadæ,
Tenerum deinde mentum,
Charites habeto circum
Nitidas simul volantes.
Superest ut induatur
Tyria stolâ, pusillum
Sinus ut tamen patescat;
Pariter manus patescant,
Quoque brachium patescat.
Satis est; videre namque
Videor mihi; euge forsan
Etiam loquere Tela?

HENDE-

HENDECASYLLABUS II.

Ad apes de Divæ AMELIAE ſcriptis.

VOs ô melliferæ precor volucres,
Quæ per roſcida prata convolatis,
Per dulces violas, thymumque dulcem,
Quæ ruris legitis ſuave nectar;
Vos cives adeo laborioſi
Prædones redolentium roſarum,
Rorantis bibulæ aeris cohortes:
Vos ô melliferæ precor volucres,
Secretas AMELIÆ adite ſedes,
Sedes Pieridum choris amicas,
Sedes nec Superis inhoſpitales,
Si vos tanta tenet cupido florum,
Si vos tanta tenet cupido mellis.
Hic rore aureoli madent libelli,
Vernant floribus aurei libelli,
Hic vos carpite floſculos recentes,
Hic ver ſugite, copiamque roris,
Hic vos melliferam domum poteſtis
Vobis figere, nobileſque vobis
Conſtipare favos, replere cellas
Regum porticibus beatiores.
Quin & ſi cupitis probæ videri,
Si cantus memores Maroniani;
Pro me deſide, peſſimoque Vatum

Mu-

Musarum huic decimæ precor salutem
Multam reddite blandulis susurris.
At Musis animas iniquiores,
Quæ non innocuos amant Poetas,
Quæ non Pierios amant lepores,
Vestris figite spiculis acutis.

ANACREONTICA II.

HYmettiæ volucres,
Cœleste munus aptam
Quæ fingitis per artem,
Majore nunc velim vos
Negotio superni
Curare dona cœli.
Quæ floruere vulgo
Præter volate prata,
Et liliis, rosisque
Libate mella tantum,
Pulcherrimisque florum.
Cum singula inquieta
Erunt parata cura,
In litteras loquaces
Cudatur apta cera,
Quæ suave nomen almæ
Figuret AMELIÆ.
Post litterarum in arctis
Stipate mella cellis;

Non melleo vacabit
Potior locus liquori,
Non cereum probabit
Fabrica aptior laborem.

ODE VII.

SAxonum BRUHLAM decus, & Polonûm
Concinam paucis: mea dicta, Clio,
Perfer, o quæso, celer erudita ad
Limina BRUHLÆ.
Quum subit nostram Tua summa mentem
Indoles, doctrina, decensque virtus,
Et probi mores, & amæna dulci
Lingua loquelâ;
Par mihi Sapphus genio videris,
Omnis aut ipsam superare Sappho
Arte Musæa, & numeris suavi
Voce sonoris.
Euge quid linguam memorem Latinam,
Italam, Gallam, Teutonicam, & Polonam?
Quam sones Tu cumque diserta, paret
Pol Tua Lingua.
Si canas scite fidibus, manuque
Cymbalum tangas duplici, putaris
Una de Musis, eadem vel ipsas
Vincere Musas.

Hinc Tibi Ascræus Chorus usque lectas
Colle concinnat bifido corollas,
Et Tui famâ frueris, caputque
Inseris astris.

ODE VIII.

DEsinite o tandem; quid enim indulgetis inani,
Pallas, Cyprisque, jurgio?
Cypri Tibi en primum, primum Tibi Pallas honorem
Ambo arrogatis immerite.
Imo agite & BRUHLÆ, (sic fas expostulat) uni
Pallas, Cyprique cedite,
Desinite; o quid enim studia in contraria, vates,
Cæco æstuatis impetu?
Palladaque hic Cypridi, Cyprim molimine eodem
Præponit ille Palladi?
Imo agite, & BRUHLAM sociatis laudibus unam
Præferte Cypriæ, & Palladi,
Artibus Aonijs vincit quæ Pallada, vincit
Fulgore vultus Cypridem.

JAMBICUM.

Flos Gratiarum, cor, decorque Musarum
Exemplar altæ laudis, atque virtutum,
Sumas volens ab hoc Cliente, Amelia,
Odas inermes munus haud quidem votis

Æquale

Æquale noſtris, aure nec tuâ dignum:
Fidele pignus attamen piæ mentis,
Quod ut perennet, & ferat vetuſtatem,
Non eſt meum vovere, ſed dare eſt veſtrum.

EPIGRAMMA II.

Si Tibi quæ præſtans animus, quæ gloria gentis,
Quæque adeo eximiæ formæ honor iſte Tuæ
Poſtulat, o noſtri decus admirabile ſæcli,
Inferior nullis o Amelia viris,
Pro ingenio, meritisque Tuis fortuna dediſſet,
Unica eras Getici Tu Domina Imperii.
Sed timuit, ne, Te rerum potiente, jaceret,
Victaque virtuti cederet ipſa locum.

EPIGRAM: III.

Deſinimus nos eſſe viri, fuimusque quod olim,
Fit Amelia; Virûm ſubripit Jlla decus.
Iuppiter aut illi ſexum concede virilem,
Vel dic, attonitis omnibus, eſſe Deam.
Pallada dic, non quæ tremebundam concutit haſtam,
Sed quæ Cecropijs jura dedit populis.

EPIGRAM: IV.

Virgilio meruit celebrari Vate Camilla
Bellatrix, & opus Virgo imitata virûm:

Te plus laudaret Vates si viveret idem,
Quæ certas doctis docta Amelia viris.
Corpore nobilior mens est; sit clara Camilla
Marte Virûm, Tu sis clarior arte virûm.

EPIGRAM: V.

Talis forma Tibi est, talis Prudentia, tantæ
Sunt & opes, ut sis Iuno, Minerva, Venus.
Iudicium Paridis non certe Amelia timeres,
In Te cum solam tres coiere Deæ.

EPIGRAM: VI.

De formâ quondam Natasque Iovisque Sororem
Dardanium fama est consuluisse Parin.
Victricem Venerem quid mirum est? induit illa
Consimilem formam nempe Amelia Tuæ

EPIGRAM: VII.

Cum modo conferrent Tibi tradita munera, Phæbo
Iudice, (sic placitum est) Iuno, Minerva, Venus;
Divitias Iuno, formam tribuisse Dione
Iactat, & ingenium Pallas amica Tibi.
Cedite ajt potius Phæbus, lis omnis abesto,
Una Amelia una est Iuno, Minerva, Venus.

EPI-

EPIGRAM: VIII.

Forte vagans nudis Amor ut Te aſpexit ocellis,
Te falſo Matrem credidit eſſe ſuam.
Non mirum, o Superis æquanda Amelia Deabus:
Altera nam Venus es, vel Iove digna Soror.

EPIGRAM: IX.

Quod genere, & cenſu præſtas, ò BRUHLIA, multo,
Eſt decus; at decus id pluribus eſſe vides:
Quod prior innumeris Tua ſit, nullique ſecunda
Forma; tamen non eſt unica, rara licet:
Quod docta, atque ſciens muſarum es ſola; ſed olim
Deiphobe & fidicen Lesbia talis erat:
Quod generoſa eadem, dives, formoſa Amelia,
Doctaque ſis; nulla eſt par Tibi, nulla fuit.

EPIGRAM: X.

Dic Dea, quod poſſim ſcripturus fingere nomen,
Quod ſit par BRUHLÆ laudibus egregiæ.
Cur petis imprudens quod habes? dic BRUHLA; verendũ
Cuncta hoc virtutum nomina nomen habet.

EPIGRAM: XI.

Dicite mi Muſæ cultiſſima numina nobis,
Quonam AMELIAE paſcitis ora cibo?
Sic ego; ſic Muſæ, quam Te ſententia fallit!
Nectare quo potius nos alat Ipſa, roga.

EPIGR:

EPIGRAM: XII.

Quæ Paridi obtulerunt tres Divæ, Bruhla habet una;
Mentem Pallas, opes Juno, dat ora Venus.
Ipse Paris quales olim conspexit in Idâ,
In BRUHLA juret tres simul esse Deas.
Dissimilis tantum Dea BRUHLA est; quod sit in illa
Pallas blanda, humilis Juno, pudica Venus.

EPIGRAM: XIII.

Incessit Charites lis æmula; præsidet istam
Ad causam sacri Turba novena chori.
Aglaja ante alias pulchro se jactat ab ore,
Euphrosine mentis dote, Thalia chely.
Ut vidit certare Deas tres Phæbus Apollo,
Desinite, o Charites; ite ajt, ite pares.
Jre pares sinimus, dum vos tamen ante eat omnes
Gratia Sarmatici BRUHLA AMELIA Soli.

EPIGRAM: XIV.

Si genus, & mentem, si BRUHLAE respicis ora,
Sunt data quæ jactant Juno, Minerva, Venus.
Juno supercilium si ponat, tela Minerva,
Furta Venus, terris tres dabit Illa Deas.

EPIGR:

EPIGRAM: XV.

Sub Effigiem Divæ AMELIÆ.

Quæ Venerem facie, ingenioque Pallada vincit,
Conata eſt BRUHLAM pingere docta manus.
Artificis laudatur opus; Divina ſed omne
Mortale exceperat forma magiſterium.

EPIGRAM: XVI

Sub Eadem Effigie.

Vis Venerem, vis Junonem, vis Pallada in una
Cernere? tres Divas hæc dabit Effigies.

EPIGRAM: XVII.

Sub Eadem.

Si Divina Tuæ potuiſſet mentis Jmago
Pingi, nil oculi pulchrius aſpicerent.

EPIGRAM: XVIII.

De AMELIA de BRUHL & Pallade.

Jupiter amiſſam quærebat Pallada Natam,
Nec qui illam Patri oſtenderet ullus erat;
Denique AMELIAE inſpectâ virtute, ſupraque
Quo omnes mortales eminet, ingenio;

Pectore

Pectore in hoc, inquit, debet mea Nata latere,
Aut hic, aut nusquam Pallada adinveniam:
Intima AMELIAE dumque hic penetralia cordis
Scrutatur, tandem Nata reperta Patri eſt.
Ut Pater agnovit, hæc eſt mea Filia, clamans,
Hæc eſt, injectis prendit Eam manibus;
Noluit Illa ſequi, & precibus blandita Parenti
Dixit, AMELIAE pectus Olympus erit.
Dicta Pater Natæ fecit rata; tempore ab illo
Semper AMELIAE in pectore Diva fuit.
Nunc aliæ è cœlo deducant Numina; menti,
Quanta erit, includit Numina quæ propriæ?

EPIGRAM: XIX.

Quod tam ſuave mihi Parnaſſi afflaverit aura,
Non miror; Magnæ BRUHLLIDOS aura fuit.

EPIGRAM: XX.

De Eadem texente.

BRUHLIA ſeu radio percurrit ſtamina, mira eſt,
Serica ſeu tereti ſtamina pingat acu.
Guttur avis, ſi pingit avem, ſi flumina, curſum
Exercent; at ſi bella, moventur Equi.
Artifices mirata manus, mirata labores,
Ambiguum video Pallada, Pallas ait.

EPIGRAM: XXI.

Vidit Te nuper sociâ cum Pallade Juno,
Amelia, Tuis & pudefacta oculis,
Hinc cedamus ait, ne quis novus altera cogat
Jura referre sui nos Paris arbitrii;
Sit satis infaustâ spretas semel esse sub Idâ,
Quis velit expertam ferre iterum maculam?
Hactenus; & versâ referens vestigia plantâ
In sua jussa pedes Pallados abripuit.
Ergo quid humanos mirum Tibi cedere vultus,
Victa Tuis cedunt numina quando oculis?

EPIGRAM: XXII.

Multa quod in nostro legeris, Dea BRUHLA, Libello,
Ingenii ubertas hoc facit una Tui.
Materiem hæc præbet dictandi plurima, cornu
Ditis Amalthææ tale fuisse putem.

EPIGRAM: XXIII.

Non Tibi conciliem ut decus, hæc mea carmina mitto;
Ast ut carminibus sis decus Jpsa meis.

EPIGRAM: XXIV.

Vos queis cura Nurus fuit inspexisse Polonas,
Deque etiam ignotis quærere cura fuit;
Dicite, si qua unquam formosior Ameliâ
Visa vel Eois, visa vel Hesperiis.

Parva loquor; quid enim, quæso, formosius illâ
Regia vel magni possit habere Jovis?
Quocumque aspicitis, micat hinc decor, inde voluptas,
Formosæ assurgunt undique deliciæ.
Singula quid memorem! cælo dignissima tota est,
Quod tamen o utinam non nisi sera petat.
Cedite jam spretæ Phrygio sub Judice Divæ,
Sitque satis causâ vos cecidisse semel.
Tuque AMELIÆ pomum, Dea Cypria, trade,
Tu cum lite tenes, Hæc sine lite habeat.

EPIGRAM: XXV.

Orta fuit Superis de Te lis BRUHLA, vocante
Cypride Teque suam, Pallade Teque suam:
Illa, quod, ambrosios oculis afflavit honores;
Ista, quod erudiit artibus ingenium.
Dissidium veritus Divarum grande duarum
Iuppiter, ah rixas Utraque ponat, ait:
Est Tua, Cypri, tui cum specto fulgur ocelli,
Est Tua, ut ingenium specto, Minerva, tuum.

EPIGRAM: XXVI.

De Diva AMELIA texente.

Texentem Pallas AMELIAM ut vidit, & Ejus
Artifici factum pollice vidit opus;
Vincere non sat erat forma, mihi se quoque præfert
Ambitiosa meâ, dixit, in arte Venus.

EPIGRAM: XXVII.

De Eadem Texente.

Hactenus extinctos animavit imagine vultus
Sudor Apellæus, Phidiacusque labor.
Nunc AMELIA novis telas animare figuris
Auctor, & artifici texere tela manu.
Adjures, hæc vera geri, nec ficta videri;
Tantum Dædaleæ possidet artis opus.
Si Terras mentitur acu, stant ordine sylvæ,
Rauca sonant fluvii, stagna quieta silent.
Nunc curvas sinuant valles, nunc flumina turgent
Montibus, & Cælo proxima saxa vides.
Si fragiles artus formavit, & ossa virorum,
Vivere credidimus, credidimusque loqui.
Stamina si facies Divum spirantia monstrant,
Vivunt in magnos stamina tota Deos.
Iuppiter igne tonat, montanaque culmina fumant,
Fila vagas rumpunt ingeniosa faces,
Crinitur Phoebus radiis, Mars fulminat armis,
Invidia Juno sævit, amore Venus.
Unde tot invenit textricibus artibus artes?
Pallade docta fuit, Pallada vel docuit.

EPIGRAM: XXVIII.

De Eadem choreas agente

AMELIA ciet varias dum BRUHLA choreas,
Et quatit aligero picta asarata pede,

Argutos edit quot motus corpore, tot nunc
Spectantum cernas corda micare modis.

EPIGRAM: XXIX.
Eadem Canente.

BRUHLIA cæleſtes cantans dum provocat auras,
Et roſeo ambroſios explicat ore modos;
Dulcia flexanimæ miratus carmina linguæ,
Inconſultam animus combibit ore necem.
Tum ſe ipſum fallens paulatim elabitur, & jam
Jam moritur, nec ſcit, quid fuit inde mori.

EPIGRAM: XXX.
Ad Eamdem Canentem.

Ædipodioniis reddantur mænia Thæbis,
Si tibi vocali pollice tacta chelys.

EPIGRAM: XXXI.
Ad Eamdem canentem.

Dum teris argutas vocali pollice chordas,
Vincitur Orphææ Thracia muſa Lyræ

EPIGRAM: XXXII.
Ad Eamdem Canentem.

Legatam ad Diten pro Conjuge Thracius Orpheus
Te mittat: reddet protinus Eurydicen.

EPIG:

EPIGRAM: XXXIII.

In Ejusdem Nomen.

Quærebam quid, BRUHLA, Tibi, Dea, nominis esset;
Cum mihi quis Genius nescio in aure canit:
Tres Charites ter, tresque cui risere Sorores,
Debuit à mellis nomen habere favo.

EPIGRAM: XXXIV.

Quærebam Phæbum, Phænix vere an foret ulla:
Annuit; atque AMELIAM innuit, & siluit.

EPIGRAM: XXXV.

Certarunt triplices Phrygio sub Judice Divæ;
At Tu sola triplex BRUHLA AMELIA mihi es.

EPIGRAM: XXXVI.

Quæ Dea, quæ rorem superat candore marinum?
An Thetis, anne maris edita rore Venus?
Non ita, namque maris fugit hæc moderatior æstum:
Anne igitur magni est Nupta, Sororque Jovis?
Falleris; hæc fastus tumidæ Junonis, & iras
Vitat, & impuri crimina nota Dei.
Æmula an est igitur fraterni luminis? absit;
Illa notho, proprio lumine at Ista micat.

An Charis ? exsuperat Charites. An Pegasidum una ?
Pegasidum dotes BRUHLA habet una novem.
Musarum anne igitur decus & Regina Minerva est ?
Rem capis, hæc certe est, Illius aut anima est.

EPIGRAM: XXXVII.

Cypridos, & BRUHLAE par gratia, parque venustas ;
BRUHLA foretque Venus, ni Venus Ipsa foret.
Differt hoc tantum, si differt BRUHLA, Venusque ;
Prodiit ista salo, prodiit illa solo.

EPIGRAM: XXXVIII.

Qui mihi fautrices ajt, aut putat esse Camænas,
Fallitur ; auspiciis nil juvat ire novem.
Si quid nostra potest Erato, laus si qua, vel ausus ;
BRUHLA mihi hunc genium suggerit, hocque decus.

EPIGRAM: XXXIX.

Nil opus est Sociis sociatam Pallada Musis,
Aut Phœbum, aut Charites hoc memorare loco.
Ne falli metuas; BRUHLAM si dixeris unam,
Nomine comprendas Numina tanta suo.

EPIGRAM: XL.

Qui tecum priscas formoso heroidas ore
Conferet, atque tuis, o AMELIA, comis;

For-

Forte e tam multis, tecum quæ certet, habebit:
Sed quæ Te superet, non erit, ingenio.

EPIGRAM: XLI.

Si Te Phryx nosset, contemptâ jure Lacænâ,
Idææ fieres grata rapina ratis.

EPIGRAM: XLII.

Indueris cæstum, Dominam Cythereia dicet
Turba; habilem squammis Ægida, Pallas eris.

EPIGRAM: XLIII.

Sit Tibi forma licet, quali Cytherea placeret,
Prudenti mavis Pallada mente sequi.

ODE IX.

In Pulcherrimum AMELIÆ Nomen.

AMELIA dulce nomen audiri mihi,
Carmine dulce cani,
Suave verbis exprimi.
Quæ digna laudes barbitos pandet Tuas?
Æmula Te poterit
Quænam Camæna pingere?
Si Te liquentis more dicam nectaris
Auribus influere,
Et lene sensus ingredi;

Vocis beatam non ego dulcedinem
　Aſſequar, ipſa Tui
　　Exempla quamvis nectaris,
Dulcemque cannæ proferam ſuccum Indicæ,
　Haud Tibi conſimilem
　　Delineabo imaginem.
Sunt quæ ominoſum continent vocabula
　Horridiora ſonum,
　　Ingrata dici, & aſpera.
Quæ Te AMELIA lingua fingit eloquens,
　Anteit Auſonios,
　　Vincit lepores Atticos;
Nec tantum amicum promovet ſenſus melos,
　Sed quoque melliflua
　　Conſpirat omnis littera,
Conſpirat omnis Syllaba in gratum ſonum,
　Utque magis facilem
　　Uſum loquenti emolliat,
Obſequitur omni prompta conſuetudini;
　Nos ſinit AMELIAM,
　　Atque AMELIAM proloqui.
Vitale donec hauriam cæli jubar,
　Non ego laſſus ero
　　Te nominare, BRUHLIA.
Quis ſcit, canorus & meo de pulvere
　Exoriatur olor
　　Phænice vel vivacior,
Qui Te per omnes differat mundi plagas,
　Nocte dieque canens
　　Amabilem vim nominis.

HEN-

HENDECASYLLABUS III.

AD LECTOREM.

SI quis candidulam meam hanc Camœnam
Jſtis cum lyricis, phaleuciisque,
Cumque iſtis elegis roget, pudicum
Quonam tendat iter mea hæc Camæna,
Quosnam cogitet, aut petat penates;
Flore nectaris hæc canat Camæna,
Sacra ad limina BRUHLIÆ beatæ,
Auguſtos ad Apollinis receſſus.
Idem namque puta BRUHLIA atque Apollo,
Idem Caſtalis & ſinus bivertex,
Auguſtique Deæ BRUHLÆ penates.

HENDECASYLLABUS IV.

Concluſio Carminum.

AD EAMDEM DIVAM AMELIAM.

O Lux Caſtalidum, & Decus Sororum,
AMELIA, ſoli & decus Poloni,
Quam plus Caſtalides ſuâ Minervâ,
Quam plus Phæbus amat ſuâque Daphne;
AMELIA, precor meum hunc libellum,
Quæſo, perlege molliore vultu.
Uni nam Tibi ſi placere poſſit,
Uno plus poterit placere ſæclo.